apparentes duntaxat colores, in qua via melioris vitæ ornamẽta
omnis internæ pulchritudinis consummatio, perfectioq́ conspi-
citur. Unde aliorum licet sanctissimorum virtutes numerare p̃ns,
utpote ꝑ partes distributas; huius vero Virginis numerare non
possumus, illa verbis circumscribi, oratione comprehendi, et quem-
admodum parva flumina facile pontibus iunguntur, sermone de-
finiri possunt. At vero pontem indignatur Araxes. B.mæ V.is
virtutes terminos excludunt, illas velle complecti vel voce, vel
mente, maris littora ponte iungere est, ipsumq́ pelagus exhau-
rire. ita sane ut cum alijs hominibus nec parem comparatio-
nem facere possim, nec contentionem instituere audeam. Quid est
quod in S.mo Chri Prodromo (cum venia loquar) quo non surrexit
maior inter natos mulierum, tantopere miramur? hoc opi-
nor; nasci a sterili, fugere in solitudines in infantia, par-
entum deserere dulcedinem, tenerum corpusculum ~~[illegible]~~ rigida ca-
meli cute tegere, imperterrite arguere delinquentes, denique pro
Iustitia mori. atqui hæc omnia, et plura in hoc pulchritu-
dinis vasculum demanarunt; nascitur n. et hæc è sterili Vir-
trimula ~~in~~ solitudinem in templo quæsivit, parentesq́ chari-
ssimos sui tam studiosos tot votis fessos, et repulsis afflictos
deseruit corpus continuâ cilicij asperitate edomare, ieiuniorumq́
et Vigiliarum constantia divexare n cessavit, denique tot op-
probria, tot subsannationes, sibilos, irrisionesq́ filij sui cca
sustinere, an non hoc plus, quam rigida cameli, imo ferrea
cute tegi? et saucio pectore furentem illum Simeonis gla-
dium excipere, an n millies superat unam capitis dissectionem?
Quid suspicimus in mansuetissimo Moyse? Mansuetudinem
reponis? pertinacis populi tolerantiam, ieiunia per 40. dies